B. N. C.
FIRENZE
1 0 0 3
20 BIS

1003. 20 bis

LITERÆ
DOMINI N.N....
CONSILIARII REGII,
AD AMICUM SUUM
D. ANTONIUM WION DE HEROUVAL
inter Viros eruditos nominatiſsimum,

IN CAUSA LIBELLORUM,
Qui ſubinde eduntur in Belgio contra

RR. PP. HENSCHENIUM & PAPEBROCHIUM Ieſuitas,

Ex Gallico Latinè redditæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1875

MI DOMINE,

Quoniam eorum, quæ tibi curioſa occurrunt, participem me facere, & de novis, quæ per vices ad te deferuntur, mecum communicare non gravaris, mirum quantum me tibi devinctum ſentio. Legi quos ad me mittere dignatus es P. Jager Benedictini ad S. Lambertum in Styria, latinos verſus, Controverſiam inter PP. Carmelitas, & P. Papebrochium concernentes, uti & obſervationes, quas fecit hic Pater, in ſententiam, quam evulgarunt hactenus de origine Ordinis ſui, & aliarum quarundam rerum, quæ ipſis minus placent, quod eos impulit ad conſcribendos libros & opuſcula felle plena; quod nullo modo charitati Chriſtianæ conforme eſt, ad cujus tamen exemplum nobis præbendum ſua eos obligat profeſſio, qua tenentur omni potius operâ incumbere in incrementum, quam ruinam famæ & exiſtimationis perſonarum honeſtarum.

Non judico tamen P. Papebrochium iis, ut velle dicitur, reſpondere debere, nec etiam ſuis operibus hos verſus inſerere, negligendaſque ei eſſe id genus invectivas, ſuis duntaxat auctoribus injurioſas. Et verò crediderim vindictæ coram Deo licitæ ſpeciem eſſe, non reſpondendo inimicum contemnere injuriis provocantem. Patres hi in omnibus ſuis ſcriptis adeo prudenter hactenus & ſapienter proceſſerunt, ut eorum exiſtimationi obeſſe nil poſſit, utpote quæ nimis altas in omnium Eruditorum animis radices egit, præ quam ut maledicorum linguis convelli poſſit.

1003 20 bis

Cum autem dicere poſſim omnia legiſſe me, quæ typis vulgantur, id quoque veritati teſtimonium perhibere valeo, magna eos ubique ſinceritate agere, continuo proteſtantes nullum ſibi alium ſcopum præfixum eſſe, quam veritatis indagationem; nec unquam moleſtam ſibi fore evulgatorum retractationem, ubi erroris convicti fuerint.

Extra omne enim dubium eſt, idque præſertim Viris doctis maximè notum, neminem infallibilem eſſe, fierique poſſe ut fallamur ſæpe in conjecturis, quæ crebro decipiunt, quanquam Auctoribus ſuis non raro blandiantur.

Vitio non vertitur dicere quid ſentias, aut judices de iis quæ tractas, quando lectoris arbitrio judicanda permittis; cum vero eadem inſignium Virorum auctoritate, ſolidarumque rationum fundamentis confirmas, credo equidem tunc tanquam veriſſima publicari poſſe, cum quod tuum ſit nihil affirmes, ſed fundamentum rei univerſæ rationum, quas proponis, pondere nitatur

Sunt vero & quandoque plura à quibuſdam Scriptoribus edita, quæ criſi indigent, cum vel à veritatis ſpecie adeo remota ſint, ut aut ignorantiæ, vel nimiæ credulitatis notam ſubeas, niſi oppugnes; Nam, dic ſodes, quis vel tantillum in genuinis Annalibus verſatus crediderit opera ab Hiſpanis quibuſdam, cæterà Viris doctiſſimis, ſub nomine Flavii Dexteri, Maximi, & Luitprandi edita ab his Auctoribus unquã conſcripta fuiſſe?

Graviterne ferent Hiſpani Patres, Henſchenium & Papebrochium eidem, cui ipſi, Regi Subditos, hac de re ſuam ut Viros ingenuos decet ſententiam protuliſſe?

Idem eſt de libro S. Joannis Hieroſolymitani, & de vita S. Angeli Martyris, per prætenſum Enoch, qui libri ſunt & male conſarcinati, & plus quam ſuppoſititii; quos tamen PP. Carmelitæ tuentur, tanquam indubitatos horum Patriarcharum fœtus, non minus ac Ordinis ſui originem, quanquam nullo fundamento nixam, dum eam ex veteri teſtamento deducunt.

Sibi melius conſulerent, ſi teſtimonio ſtarent Joannis Phocæ, qui ſub initium hujus Ordinis vivebat, eumque iam exactè & nitide nobis deſcribit.

Quod enim ad evertendam hanc auctoritatem inquiunt librum eſſe in Hollandia editum, nullius profecto momenti ratio eſt, quæ ſanæ mentis hominem nunquam movebit.

Nam præterquam quod manuſcripta D. Alaſſi Romæ deperdita non ſint, an forte aut Hollandorum aut Proteſtantium tanti intereſt, quo tempore ſua hic Ordo ſumpſerit exordia? an fortaſſe hanc Controverſiam prævìderint, quò authorem apud ſe impreſſum falſificarent? Satius eſſet bonos hos Patres veritati adhærere, quam origines fabuloſas à longe petere, ut factitabant Græci & Romani, dum Urbium, Provinciarumque Hiſtorias deſcriberent.

Annales Sacros, quorum pars ſunt Religioſi Ordines, id genus fabulis, fabularumque vel umbris immunes eſſe oportet, cui rei quandocunque Viri eruditi operam ſuam navant, ſemper lucem merentur.

Id nempe faciunt Antuerpiani hi Patres, qui tanto ſucceſſu in SS. Vitas incumbunt, in quibus nihil niſi ſolidum, nihil niſi gravium Auctoritatum pondere firmatum proponunt, à rebus nauci, quod quidam non factitant, prorſus abſtinentes.

Si

Si qui ſunt, quos hoc male habet, graviter ferentes evulgari ſuos errores , quod optimum factu videbitur, faciant, nihil interea curandi. Id quippe veritatis proprium eſt, ut mendacii nubila exiguo tempore diſſipet. Illorum ſcripta, horum adeo illuſtrium Virorum, qui & de Republica Chriſtiana, & de literis tam bene meriti ſunt, exiſtimationi officere non poſſunt, nec quidquam eſt quod eorum famam vel minimum imminuere poſſit.

Qui ſcire volunt (inquit eruditus Moreri *Tom.* 1. *pag.* 1163.) num Propheta Elias Viros ſolitarios, à quibus Carmelitæ profecti ſint , in monte Carmelo congregarit, conſulant Torniellum & Cardinalem Baronium ad Annum 1181. & rei veritatem docebuntur. Nec præoccupabuntur figmentis quibuſdam apocryphis, nec approbabunt reſponſa parum modeſta, quæ vidimus contraria iis, quæ magnus hic Cardinalis tanta ſoliditate & prudentia ſcripſit. Sat notum eſt quod animadverto, nec porro facile eſt ejuſmodi logis, eorum hominum, qui ratione ducuntur, mentem prævenire.

Cæterum reditum tuum ſummo deſiderio præſtolor, quanquam & hanc abſentiam plurimum conſoletur ea cogitatio, non parum ſcilicet aërem liberum & campeſtrem conducere ſanitati tuæ, quam tibi planè integram apprecor. Sum quippe, qui ſemper fui,

MI DOMINE,

Humillimus obſequentiſſimuſque
Servus tuus.

AD LECTOREM.

COmmunicato mihi per amicum Epiſtola hujus Autographo, ut eodem, in favorem contumeliis laceſſita veritatis pro arbitrio uterer , volui denuo eam juxta mentem Auctoris publicando , juſtificare prudens ſilentium R. P. Papebrochii, *docti hujus Viri ſententia* , *quam ſcio probari omnibus quotquot ſunt Romæ & Lutetiæ viris doctis* : *Siquidem libelli, de quibus agitur, nihil ſunt, niſi ridicula congeries fellis & errorum, ut quiſque videre poteſt, & judicare quo reſponſo digni ſint, cum ad quæſtionem principalem parum aut nihil conducant, niſi in iis locis, quæ deſumpta ſunt ex* Armamentario *&* Speculo Carmelitarum, *quæ dictus Pater ſufficienter refutavit in tractatibus præliminaribus ad tres primos tomos Maij, & in vitis SS. Angeli Martyris, & Ludovici de Rabata Carmelitarum, ad dicti menſis diem quintam & undecimam, & in earum appendicibus, ubi quoque anticipato reperitur rejectum, quod Author* Pomi d ſcordiæ *recens editus, ſtabilire prætendit, diſſimulans (quod & aliorum libellorum Authores faciunt) quod ſe totum non applicarit lectioni Menſis Maij.*

Hoc itaque ſufficiat ad liberandos errore RR. PP. Carmelitas, *qui ex eo quod multiplicando libellos magnum conciverint tumultum, ſibi blandiuntur , ac ſi modus eorum agendi à doctis approbaretur, & quaſi funditus evertiſſent ſcripta* P. Papebrochii , *eò quod ipſorum exemplo operam non perdit in recoquenda toties crambe.*

Si

Si forte quidam eſſent qui adverſæ partis querelis præventi , aut ex defectu notitiæ operum ſupradictorum ſibi perſuadeant , PP. Societatis ab hoc ſcribendi modo abſtinere potuiſſe, ſciant RR. PP. Carmelitanos *in prima parte ſui* Armamentarii *queſtos eſſe , quod* P. Henſchenius *hoc in capite ad menſem Martium nimium brevitati ſtuduiſſet, urſiſſeque P. Papebrochium prætenſam Collegæ ſui brevitatem dilataret , apertius declarando, quam partem hac in conteſtatione ſequi vellet , etſi tum oretenus , tum per literas ſæpius oſtenderit , non deſiderare ſe hac in re urgeri.*

Cæterum abſque reflexa cogitatione id præterire non poſſum : quod Author Prodromi P. Papebrochium *putrum nuncupet (ſtupete inſolentiam) cùm docet , quod à ſeculo ſeptimo uſque ad duodecimum nullus nec Nobilis, nec plebeius uteretur cognomine in ſubſcriptione Actorum Notarialium , aut in ſimilibus occaſionibus.*

Videatur ſolummodo , quid hac de re dicat Notitia Marchionatus *S. Imperij pag. 495. tanquam de veritate teſtatiſſima apud omnes eos, qui veterum monumenta etiam vel leviſſime attigerunt , & vel ex hoc fiat conjectura, quam ignorans & ridiculus ſit Author hujus libri, qui pag. 86.* Prodromi *in ſubſidium convocare audet Scriptores omnes tam ſacros , quam profanos ad irridendum eum,quem & ipſi Hæretici , & ij quoque , qui Jeſuitas vix tolerant , reverentur.*

Puſilli eum animi reum facerent, ſi his fractus motibus egregium illud opus ſuum interrumperet , quo fabellis reſpondeat , quas nulla alia ex cauſa tantopere propugnari credimus , niſi ex imaginaria quadam obligatione , qua impulſi ea tanquam axiomata tradunt , quæ ſcriptis ſolum nituntur apocryphis , quibus ſuam ſufficienter conſtare auctoritatem credunt , à credulitate nimia eorum Auctorum qui aliquot ſeculis vixerunt , è qua legitimam poſſeſſionem ſibi abuſivè fabricantur. Sed facile apparet ex multitudine Apologiarum, quas hi Patres ad eam ſibi propugnandam fecêre , eandem nunquam fuiſſe pacificam.

Qui non gravabitur eorum ſpeculum legere, nullo negotio colliget , quodnam de eadem ipſa judicium ferendum ſit , videbitque an cauſa ſit tam acri calamo in PP. Henſchenium *&* Papebrochium *invehendi, tanquam in eos qui è bonis Catholicis primi, de prætenſa Ordinis antiquitate dubitantes, petierint argumenta antiquiora & magis authentica , quam ſint illa, quæ hactenus tradita ſunt ad ſtabiliendam ordinatam eorum ſucceſſionem , quam ab octodecim ſæculorum Hiſtoricis, qui à tempore Eliæ, uſque ad receptionem terræ ſanctæ vixerunt , impetrare non potuimus.*

APPROBATIO ORDINARII.

HÆc Epiſtola non diſcreta minus, quam efficax ad præcavenda futura ſcandala, utiliter reimprimetur. Ita teſtor Antwerpiæ 13. Februarii 1683.

A. Hoefslag
C. D. L.